

De  
*religionis doctrina in gymnasiis coram superiorum classium  
 discipulis tradenda disseritur*

<sup>a b</sup>  
**Augusto Bothone Rothmaler.**

**O**peraene pretium sit, si de religionis doctrina in gymnasiis coram superiorum classium discipulis tradenda, quum toties nunc de ea re universa quidem scribatur, meam quoque sententiam aperuerim, non satis quidem ipse scio; sed id tamen ut facerem, facile adductus sum tum rei ipsius tractandae dignitate, tum muneris, quo, hoc ipso anno, etiam in supremis hujus gymnasii classibus docere religionem jubebar, gravitate, quippe qua obstrictum me esse ad exhibendam docendae religionis rationem meam putavi. Accedit huc, quod lubens atque promptus meam qualemcunque operam in tradenda religionis disciplina collocatam profiteor. Nam quum, patre usus verbi divini ministro, religioni et colendae et exercendae a puero adsuevissem ac studuissem, pergratum mihi, postquam praeceptoris hic fungi munere publico incepti, id evenit, ut religionis quoque coram inferiorum et mediarum classium discipulis docendae provincia mihi mandaretur. Ex eo mirum quantum multos per annos voluptatis cepi, cum docendo doctior in dies ipse factus moribusque emendatior, tum discipulos habens et rei intentos discendique cupidos, et praecepta in usum morum vitae magis magisque emendandorum convertentes.

Ex quo autem — hoc ipso anno — primae quoque et secundae classis discipuli, postquam Wagner, Collega optime meritis, V. C., ad ampliorem sacerdotis primarii apud Ascherslebienses provinciam suscipiendam discessit, mihi instituendi religionis doctrina traditi sunt, novam ac recentem tam cognoscendae, quam

A

edocendae rei operam arbitraber dandam esse. Quo factum est, ut difficiliore gravioreque operi acrius studium impenderem et accuratius de via ac ratione tradendae hujus disciplinae cogitarem. Quae cum ita sint, paulo longius, ut rite recteque singula quaevis enucleentur, repetere ac libere et ingenue, quid sentiam de re cogitemve, profiteri mihi liceat.

Ac primum quidem gravissimam esse maximique momenti religionis doctrinam, ut per se pariter atque in omnibus vitae condicionibus scholisque diversissimis, ita in gymnasijs quoque itemque si aliae, cujuscunque generis sunt, disciplinae gymnasiolorum spectentur, prorsus penitusque persuasum habeo. Quid, quod eam hisce ludis, in quibus discentes ad altiora vitae publicae genera informari solent, maxime necessariam dixerim ac vel principem rerum docendarum; et tantum abest, ut fructus inde percipiendos aliarum disciplinarum fructibus inferiores habeam, ut illos summos ac saluberrimos praeceteris existimem. Namque cum omnis religionis ea sit vis, ut dignissimum, in quo cognoscendo versetur cogitatio, i. e. numen divinum, quantum fieri potest, probe intelligatur, quaeque inter illud atque homines intercedat ratio ac necessitudo, sedulo indagetur, quamque ex hujus numinis voluntate, consilijs, moderatione rerum homines, quotquot sunt et ubicunque vivunt, vita ejusque rationes maxime pendeant: per se intelligitur, cogitatorum humanorum caput esse cognitionem dei divinarumque rerum omnium, ejusque maximam esse vim ad vitam bene beateque instituendam. Hoc vero cum doctissimo et sapientissimo quoque affirmaverim, quam personam nos viventes gerere velimus, potissimum eam — nolo omnem atque integram dicere — proficisci ab illa deum cognoscendi ratione nostra atque modo. Ad hanc enim informari ab hominibus variarum notionum complexus solet, ad hanc revocantur de rebus humanis iudicia; ad hanc spectant homines, quum quid fugiunt appetuntve, quum jucunda et injucunda sentiunt, et felicem sortem suo quisque modo consecantur. Itaque vere dici potest, universam hominis cogitandi, sentiendi agendique rationem suo jure referri potissimum ad informatam dei divinarumque rerum scientiam atque cognitionem. — Possum quidem, ut haec mea sententia magis confirmetur, plura afferre argumenta; at nolo esse nimius, praesertim quum magis magisque homines consentiant summum esse religionis doctrinae in nostris quoque ludis pretium statuendum. Non est igitur, quod diutius rem morer. Omnis etiam literarum, quae ad res gymnasiolorum atque scholasticas universas pertinent, historia satis probat, magnam docendae religionis in gymnasijs dignitatem agnoscendam hac aetate, tamquam praecipuam. Quot undique prodierunt nuper libelli, qui in religione docenda atque tradenda versantur! Quantum illi quoque scriptores, quorum opera in iudicandis universis scholarum et gymnasiolorum

disciplinis — vulgo ars ista paedagogica dicitur — collocata est, etiam religioni tribuunt docendae! Id quod jure meritoque factum est, quum diutius res hic ibi quodammodo neglecta jacuisset, quumque in nonnullis gymnasiis tempus huic disciplinae tradendae tam arctis cancellis circumscriberetur, ut despicientiae ejusdam ac neglectiois suspicionem vix ab illis removeere posses. Sed quoniam lactiora nunc incrementa cepit in gymnasiis quoque religionis doctrina, deque ea multum disputatum nuper est, studiosius etiam ab omnibus hanc disciplinam in gymnasiis tradentibus expendi et cogitari debet, quae sit et verissima et fructuosissima docendae ejus ratio et via, quis et qualis i. e. quomodo affectus animo et comparatus natura sua esse docturus debeat; tum quanam discentibus necessaria sint ad intelligendum et utilia; deinde quis docendarum rerum ambitus definiendus et modus tenendus sit, atque discendorum argumentum (et materia) quo tandem modo explicari oporteat, ut et rei dignitas gravitasque rite observetur, et utilitas quam maxima discentibus praestetur.

De hisce volenti paulo liberius disputare mihi liceat, quid sentiam, simpliciter et naturae (rei) convenienter declarare. Utinam ad veritatem propius accedere contingat!

Iam vero quod nuper saepius disceptatum est et in contrarias partes dictum a doctis viris, — maxime a divini verbi ministris — utris decernenda esset religionis in superioribus gymnasiolorum classibus docendae provincia, iisne, qui munere sacerdotis fungentes sacra christianorum publica facerent, an iis, quorum — ut magistrorum gymnasiis ipsis constitutorum — omne studium id fuit, ut literis ediscendis facultatem sibi eam compararent, quae pueris juvenibusque erudiendis, edocendis, educandis maxime prodesset: de hac re dijudicanda ego quoque verba faciam. Cogitanti mihi saepenumero de ea mirum sane videbatur, quod tam anxie et studiose nonnulli theologorum dictitabant, ad veram e religionis institutione salutem consequendam tantummodo divini verbi ministris provinciam religionis in gymnasiis docendae esse restituendam. Fuerunt, qui sic argumentarentur: non esse praeceptorum gymnasiolorum satis amplam et accuratam cognitionem peritiamque rerum divinarum s. christianarum (s. theologicarum); nec sufficere eorum docendae et exercendae religionis usus; nec esse eorundem animos satis christianae causae addictos, ut, quae vera esset christianae religionis cum vita causa et necessitudo, observaretur atque in usum vitae Christo vere addictae converteretur. Qui quidem theologi nimis religiosi aut falsam sibi opinionem informarunt, aut hic ibi indigna experti erant. Quamquam enim non infitior, propter frequentes istorum doctrinae adhibendae usus faciliorem ab iis comparari tractandae rei consuetudinem et expeditiorem propo-



nendorum dogmatum facultatem; et quamquam non negaverim, istos viros accuratius novisse verba scriptorum divinatorum propria, item vocabula, quibus in libris symbolicis et notiones et sententiae quasi definitae prostant: tamen non sequitur ex eo, nemini nisi verbi divini ministro curam proponendae coram discipulis nostris religionis mandandam esse. Nonne gymnasii magistri idem praestabunt, si satis imbuti religionis christianae historia ac disciplina id spectant, ut perspicue, graviter suaviterque proponant dogmata christiana, ex ingenio sacrorum librorum omnia deducentes, tamquam e divino fonte haurientes, ad Christum salvatorem spectantes ejusque sequentes auctoritatem, hunc imitantes, tamquam verae religionis exemplar itemque sapientissimi doctoris, cujus docendi quoque insignem facultatem et aptissimam confirmandorum animorum rationem admirari nunquam satis possis? — Quoquomodo autem se res habet, ab utroque tam ecclesiae, quam gymnasii doctore, si negotium proponendae religionis in supremis gymnasiorum classibus alterutri permittatur, jure postulatur, ut sufficientem rei christianae intelligentiam sibi paraverit, probe noverit docendarum rerum argumentum, cognitam habeat rerum christ. historiam, intelligat satis linguas, quibus proditae sunt res sacrae, discernat sortem et fata, quae literatorum hominum curis doctis et operibus obtigerunt: ne multa, id volumus, ut sit docturus satis rerum docendarum gnarus ac peritus, adjutus doctrinae christ. praesidiis omnis generis. Addatur, ut tamquam propria habeat christianae rel. argumenta docens, et sua ipsius vita confirmata, ut conspicua in ipso fiant candor animi morumque castitas, pietas summa in deum, Christum, homines; reverentia erga libros sacros maxima et ardens studium, quo beneficiis dei in dies dignior evadat. Quod si pari modo, atque sacerdos, res scire gymnasii praeceptor existimandus erit, aequè suos ad deum sensus referre virtutisque christianae esse studiosus: haud dubie praestabit huic mandare negotium, quo, ut alias disciplinas, sic religionem quoque in superioribus gymnasiorum classibus exponat. Id quamquam multis quidem argumentis probari potest, tamen non nisi pauca eorum significasse hoc loco sufficiat. — Omnino permultis usque gravissimis difficultatibus res premetur, si docens parum illos noverit, ad quos pertinet ejus institutio ac disciplina; contra si quis penitus perspexerit, quibus discendis indigeant discipuli, quanam percipienda desiderent pro indole sua ac natura, qui mentis sit captus, et quae sunt similia: nonne multo facilius atque melius eam exponendae doctrinae rationem inibit, qua explicantur, quae opus sint discipulis, curaque geratur animorum fructuosissima? Nonne igitur melius cum discipulis agetur, si religionis institutio gymnasii praeceptoribus adjudicabitur, qui diutina consuetudine cum discipulis suis tam arcte conjuncti sunt, ut voluntates eorum vel secretas, affectiones, motus animi, studia, omnemque cogitandi, sentiendi,

appetendi rationem cognitam habeant atque perspectam? Nonne multo conjunctior inter hunc magistrum et discipulos necessitudo intercedet, multo aetior nascetur amicitia, qua efficietur, ut vera vis ingeniorum ac genuina animorum indoles ultro patefiat ac vel intestina consilia magistro sponte denudentur? Nonne, ubi ad ipsum vitae usum convertenda erit disciplina, multo expeditiora ejus consilia erunt, quibus vitia ex animis radicitus evellantur, pravae voluntates extirpentur, perversae cupiditates coercantur? Annon eidem, ubi adolescentes justis laudibus suo tempore et loco adhibitis ad colendam virtutem alliciantur, reconcilientur deo mentes alienatae et hortationibus ad officium Christo domino praestandum errantes reducantur, multo crebrius exsequendorum consiliorum occasio praebetur? Quoties denique huic praeceptori, si christianae rei vere studet, divinae sementis faciundae occasio datur, quae numquam data tibi docturo foret, si familiaritate illa destitutus esses, nec probata discipulorum fide adjutus! Hi enim facile patiuntur se vituperari suo tempore a consueto quidem praeceptore suo, tanquam parente animorum et omnis sentiendi rationis auctore et interprete atque conscientiae moderatore; huic facile intima consilia aperiunt, eidem verbis inepta et injusta quaeque castiganti lubentes parent, quippe qui plus quam satis sciunt, illum pro benevolentia sua, ductum ira proba atque justa, tum quoque exprobrasse et ad meliora voluisse adhortari. Etiam, si indignatum nimis interdum praeceptorem arbitrentur discipuli, tamen vel istud aeque ferent, benevolentia freti diu spectata et humanitate et ardenti augendae honestatis studio praeceptoris. — Quae si ita sunt, quumque caute ita prudenterque gerenda sit animarum cura, prosperius res procedet, si non sacerdoti alicui, discipulis magis alieno, religionis in gymnasio docendae provincia decernetur, sed, ubicunque id salvo munere ipso fieri poterit, gymnasio permittatur, ut e praeceptoribus unus illam quoque disciplinam tradat.

Deinceps, quum satis mihi videar probasse, religionis doctrinam a gymnasiolorum magistris tradi etiam in posterum debere, paucis significare volo et monere, quomodo comparatus natura et affectus animo esse is debeat, cui tradenda tam gravis disciplina permittatur. Eum vero oportere satis gnarum esse christianae doctrinae et eruditionis, jam supra monuimus. Nec praetermisimus id postulare, ut docens divinam rem constanter ac perpetuo, si qua sit virtus, si qua honestatis laus et gloria, eam consecretur ac suae accomodare vitae statui, ut par est, studeat. Sane vero, ut praecire cogitatione ac verbis, ita et volendo et agendo debet antesignanus eorum esse, quorum erudiendorum et educandorum curam suscepit; nec proficiet quidquam magister vel doctissimus, si non tota ejus vita moribusque praecepta comprobantur. Propterea id quoque jure nostro postulabimus, ut, quoniam et docendi et educandi ars atque negotium severitatem

quandam animi morumque constantiam magistrorum expetit, maxime in religionis doctore severitas insit et gravitas naturae, utraque inter docendum admodum manifesta. Etenim in tractandis aliis disciplinis si hilaria atque jocosa suo tempore admiscere seriis licebit, non idem hisce horis, quae religioni cognoscendae dicatae sunt, licebit.

Praeterea etiam exoptandum est, ut is, cui negotium religionis in supremis gymnasiorum classibus docendae mandetur, facundia, ne dicam eloquentia, utatur tamquam genuina facultate, qua, etiamsi minus arte et multis orationis ornamentis copiose, tamen diserte clarisque verbis res exponat. Quoniam vero pectus est, quod disertos facit, optamus, ut natura impellente ille humanitatis sensibus commoveatur et ducatur: quibus efficietur, ut non lucem solum sententiis explanandis afferat, verum etiam pios in animis auditorum sensus excitet, quorum opera auscultantes, quo velis, ferantur, ducantur, trahantur, abripiantur. Movere autem voce, pellere ac ferire animos si contendes, si allicere adolescentes, in tuas partes trahere, conciliare voles, si attentos facere alios cupies, cedere mentes, motus animi sedare: ea omnia frustra conaberis, si natura tibi facundiam quandam recusavit. Sin, impellente natura, ipse abriperis certa rerum et gravitate et sublimitate, si suavitate atque dulcedine cogitationis, quum fert natura, ipse commoveris ac perfunderis, incensus ipse quoque pietatis vi, officii, amoris, pudoris, verecundiae, gratiae divinae: etiam verba tua alacriorem gerent spiritum, aucta orationis tuae celeritas et gravitas, moveri gravius animum et sublime ferri prodent, majorque, ubi decet, vocis contentio tam acriter percutiet animos, ut, quae audiantur, in visceribus auditorum haereant.

„At — inquis — nec severitate animi, nec facundia, nec arte nimia quidquam proficies, nisi de divina rerum christianarum origine ac natura (s. veritate) persuasus eris, fidemque habebis librorum sanctorum auctoritati Christumque credes veram generi humano salutem recuperasse; cui servatori qui fidem denegabit, nunquam facundus esse poterit, nunquam dicendi copia utetur animosve commovebit sermone, non manante ex imo pectore, sive in aede christiana concionabitur, sive in gymnasiorum classibus superioribus disciplinam exponet religionis!“ Scilicet unusquisque religionis doctrinam traditurus firmam oportet de illis rebus persuasionem sibi informaverit ac fide, quam Christo Jesu habeat ejusque operi divino, certa utatur tamquam palladio sacrosancto, vel lumine divino, quo tota suae vitae ratio atque via collustretur. Sane vero sapiens praeceptor enixe contendet, ut probe noscat, quis inter divinas res et humanas nexus revera intercedat, ut emendet usque voluntates discipulorum, quorum verba, facta, vita, mores pie referri debeant ad voluntatem dei, spiritus perfectissimi, patris hominum sanctissimi, rerum



creatoris, conservatoris, moderatoris, e cujus arbitrio sapientissimo omnia pendeant; laborabit sane magister prudens, ut discant auditores magis magisque Christum prosequi omni, qua par est, observantia et reverentia summa, ut vindicem periculi nostri ac liberatorem, quo duce et auctore diligendus nobis sit proximus quisque, vel adversarius, atque propter quem liceat, oppressa peccandi libidine, ad meliora progredi, adhibita quidem spiritus sancti opera et auxilio: sed etiamsi omni ope atque opera docturus aliquis enitatur, ut deum verius indes cognoscat et colat dignius atque discipulos reddat probos Christi imitatores; tamen nec his solis ipse ille vere facundus existet, nec inde id efficitur, ut religionis doctrinam in gymnasiis coram adolescentibus tradituro non opus sit severitas animi et vis facundiae. — Ergo qui severitate indolis et ingenii innata utitur et facundiae copia, tamquam dote naturae, instructus est et praeditus, is prae ceteris videtur idoneus esse, cui negotium exponendae hujus disciplinae permittatur.

Sequitur alia quaestio, quam solvendam suscepimus. Versatur ea in investigandis et explanandis iis, quae ad usum pertinent discentium tamquam res necessariae, spectatis tum notionibus eorum rite perficiendis, tum moribus probe emendandis.

Jam vero per se clarum est, non licere, coram adolescentibus nostris totum emetiri literarum theologiarum ambitum, aut argumentum rei christ. tanta subtilitate tractari in gymnasiis, quanta theologi solent perquirere singula quaeque ac perscrutari. Quis est enim, qui vera putet tradendi via eum incedere doctorem, qui gymnasiarum discipulos omni subtilioris scientiae copia cumulare totoque peritiae perfectioris apparatu onerare velit, ita ut parum intelligentes discipuli magistro quasi pennis sublime se levanti adstupeant, quum ipsi ne uti quidem pennulis possint? Aut quis tam temere per omnes literarum theologiarum campos quamvis longe lateque patentes vagetur, ut id tantum curare videatur, ut doctissimi versatissimique hominis literati speciem prae se ferat, nullo modo id spectans, ut, quid ferre valeant tironum humeri, videat eaque sola eligat, quae usibus discentium probe vereque sint consentanea? Profecto qui tali modo discernere non poterit necessaria et utilia, aut certum docendorum modum servare nolet, parum videtur idoneus esse nec dignus, cui tam gravis rei cura concedatur.

Ergo caveat, qui religionis disciplinam discipulis superioribus traditurus est, ne de causa digrediat, justosve disciplinae fines transeat, neve, quae captum superent tironum, in medium proferat; immo veram ac saluferam tradendi unam hanc habeat rationem, qua et dignitas observetur gravitasque doctrinae, et, salvo sententiarum nexu, perspicuitate, efficacia, veri discentium usus subleventur. In huius sapientiam docendi omnem puto positam esse, hoc tenendum praeceptorum: hoc autem videtur eo magis esse spectandum, quod nimis se provecchi amore literarum

doctissimus quisque facillime patitur, et quod studiosissimus quisque rerum indagator facile et ipso rerum indagandarum studio trahitur, et vana spe, se profuturum esse, imprudens decipitur.

Fortasse quaeret quispiam: „Ergone tu putas, nimis esse infirmas adolescentium ingenii vires, quam quaequae praecepta christiana intelligant, nisi populari sermone omnia explicantur, ut fit in scholis inferioribus, aut coram gymnasii inferiorum classium discipulis?“ — Minime vero. Audio quidem, quae moneantur, sed non vereor, ne infirma vel pugnancia secum dixerim.

Probe enim scio, spectandos esse, ut prospere et salutari modo doceatur, imprimis discipulos ipsos, quaeque ad tradendum necessaria sint, pro eorum ingenio, condicione, statu; sive quae sententiae maxime in lucem et adspectum proferendae, quae negligendae et omittendae esse videantur. Non erit igitur praetermittendum praeceptorum, jam diu discipulos, priusquam superioribus classibus cives essent adscripti, usos esse religionis institutione et eruditione, eosque fructus inde diversissimo modulo percepisse; considerabit prudens magister, illos ad religionis usum non sola scholarum institutione esse adductos, sed eorum cognitiones multas aliunde fluxisse ex ipsius vitae condicionibus externis et statu rerum publico, e patrum matrumque familiaritate, ex amicorum colloquiis, e concionibus sacris; atque ab ipsorum animorum indole proficisci et ingeniorum natura, quae, utcumque comparata est, eo certe adducit, ut in scripturarum legum divinarum voces saepe subaudiantur. Quae enim innata sunt hominibus deo ipso volente et res ita moderante, quasi germinentur necesse est et segetem qualemcunque vita proliciant et promoveant; nec est quisquam adolescentium tam rudis tamque ferus, ut prorsus nihil divini in semet ipso oriri et moveri experiatur. Sed cum maxima sit ingeniorum atque indolis humanae diversitas, quumque externae sortis humanae rationes, quamvis in quibusdam generibus probe consentaneae, ubique et temporum locorumque discrimina aliam in alios homines vim exercent: etiam varie ac diversissime discipulos et comparatos et affectos habebis. Unde diligenter tibi expendendum erit, quae sit universalis istis rationibus auditorum cogitandi, sentiendi, agendi natura, in quibus vel conspirent discentes et consentiant, in quibusve, discrepantibus eorum voluntatibus et studiis, diversa consecretentur; quid plures desiderent, aut respuant, quid singuli; quando ad singulos te convertas, quando ad majorem discentium numerum vox tua et hortatus pertinere debeat. Non omnes idem sentiunt vel desiderant, aut volunt vel expetunt ii, quorum alii, veri sensibus procliviores, prae ceteris veritatis studio ducuntur, alii pulcri venustique sensibus praecipue delectantur, alii denique honestatis amore ducti eligunt plerumque, quae sententiae ad moderandas voluntates et mores excolendos admodum valere videantur. Non omnes igitur auditores aequo modo attentum erunt, nec idem



omnium studium erit, si eodem usque modo, eademque ratione perpetua docebis. sive accuratiorem difficiliorum explicationem spectaturus, sive levius tantum et obiter, quae ob omnibus facile intelligantur tamquam per se clara, traditurus et ad communem fructum allaturus.

Quae cum ita sint, nonne praeceptoris est, iterum iterumque secum reputare, quae vera sit discipulorum causa, quae ad intelligendum iis et necessaria et salutaria sint, ac quae sibi ipsi ineunda sint consilia, ut omnibus utilitas afferatur, omnibus sua cuique commoda praestentur, cunctorum cura geratur fructuosa? — Quodsi quis dicat, haec in tradendis omnibus cujuslibet doctrinae generibus tenenda esse, ut docens tum ingeniorum, voluntatum, studiorum varietatem atque diversitatem agnoscat, tum disciplinam suam variis diversisque illis rationibus accommodet: concedam ipse quoque, in iis tenendis magnam sapientiae, qua docendum est, partem esse positam; sed idem ego censeo atque assevero, in tradenda religionis disciplina, maxime in gymnasiis coram superiorum classium auditoribus, multo magis id opus esse, ut ad ea, quae singulorum ingeniis et studiis conveniant, tamquam necessaria attendatur et ad discipulorum communem fructum docenda quaeque revocentur. Nolo autem, quoniam permulta alia erunt eadem dicenda, plura ad rem evincendam argumenta afferre.

Sunt vero certa, si veram discipulorum causam respexeris, consilia capienda, quae summatim in hac tertia disputationis meae particula exposuisse sufficiat.

Nam cum triplicem agnoscere liceat universam animorum, qua vim suam et effisaciam produnt, naturam, quippe quae tum in cognoscendis rebus versatur, tum sensibus animadvertitur movendis, tum appetendo et volendo cernitur, quibus ea fertur et huc illuc trahitur: etiam tria cogitanda sunt, in quibus efficiendis et exsequendis praeceptor omnem operam collocet. Cernuntur ea in intelligentia auditorum conformanda, illustranda, definienda; deinde in sensibus piis adolescentium movendis, acuendis, excolendis; postremo in voluntatibus discipulorum temperandis et quo velis, impellendis, unde velis, deducendis, studiisque omnino regendis atque comprobandis. Est sane digna ac spectata religionis ea disciplina, qua, quae et quanta proponuntur, ad augendam et amplificandam divinarum rerum cognitionem vere probeque valeant, qua non eadem, quae sexcenties discipuli jam superioribus temporibus audiverunt, denuo docentur tanquam recocta cogitata iisdemque verbis expressa et quasi apposita; sed qua se provehi sentiunt discentes ad altiorem cognitionem, quippe qua nova cognitio addantur, relictæ partes expleantur, obscura ac nondum satis perspecta nova luce collustrentur, ut studium indagandi scrutandique discipulis genuinum novis incitamentis suscitetur, alatur,

inflammetur. O miseram istarum rerum condicionem, qua, cum novi nihil prorsus doceatur, taedium illud inevitabile animis discipulorum inculcetur, qui ad sublimiora sibi enitendum esse sentientes, quamvis alimentorum solidiorum avidi propter rerum usque repetitarum (et contritarum) fastidium et satietatem fame pereant!

Ergo progrediatur magister a facilioribus, quibus antea mentes imbui solebant, ad difficiliora exponenda. Dilatentur pristinae (superioris) institutionis carceres; amplificetur rerum ambitus, ut longius prospicere mentes possint; uberius quaeque exponantur et subtilius enucleata, ut in cognoscenda etiam religionis doctrina, quam vulgus opinatur vel sine studio per se claram esse et comprehensibilem, usu experiantur discipuli, permulta esse hujus doctrinae capita, quae ut perspiciantur, studium et assiduitatem haud parvam requirant. Si ita res tractabitur, discentes sensim sensimque majorem ei operam impendent atque intentiori de christiana causa cogitationi et meditationi adsuescent. In qua cavendum quidem erit, ne nimia vel sola singulorum ingeniorum, quae majorem et insignem aciem prodant, ratio habeatur, neglectis illis compluribus, quibus natura mediocritatem suam tanquam sortem obtulit. Immo videndum semper erit, quid plurimorum humeri ferre valeant, quidve recusent. — Verum si amplitudo rerum justa discipulorum animos in se convertet ac detinebit, argumentandi severitate et subtilitate occupatos, ipsi illi magis magisque observanter ac verecunde de christiana causa cogitabunt atque iudicium facient. Tum vanae opiniones evelluntur, dubitandi pruritus, quo etiam doctorum virorum nonnulli laborare solent, removetur; ludibria vana, quibus inanis vulgi superbia tumere solet, locum cedunt: paucis, paulatim juveniles animi justo rerum sanctarum studio delectatur.

Deinde videndum erit, ut auditores docendo varie ac jucunde afficiantur i. e. sensus justus commoveatur et affectiones nascantur sententiis propositis consentaneae quaeque operam discendi continuandam sublevent animis alliciendis invitandisque, et novum recensque studium inter docendum efficiant. Respuit enim mens adolescentium et aversatur diutius continuatam cogitationem et meditationem, quum nimis distinguitur ac definitur justoque diutius in constituendis subtiliter notionibus vox magistri versatur, qui, quamvis acute et eleganter disputet, aliquamdiu quidem discipulos sibi attentos faciet, tamen audientiam orationi suae per breve tantum tempus facere poterit. Licet enim ad quaestiones perite solvendas magis adolescentes adsuescant, quam puerorum tenerorum aures, tamen impares sunt vel superiorum classium socii perpetuis illis studiis subtilioribus, quibus continuatis saepius docti viri gaudent quaeque interrumpi aliquoties aegre ferunt. Nonne igitur satius erit, si pro disputationibus paulo abstrusioribus cumulandis doctrinae varie ac jucunde ob oculos ponantur, adhibitis imaginibus sensuum ope

percipiendis, assumptis singulis e vita communi exemplis et argumentis ex notis vitae rationibus allatis? Talia dum intuentur mentes, relaxantur quiescentes animique vires ad cogitationem denuo in res severius intendendam reficiuntur.

Est sane utilis et jucunda ingenioque juventatis consentanea docendi varietas, quum justa occasione data aut sumpta docentis vox interdum clarior editur, sonorum vis augeatur, vultu ad vivam rei imaginem efficiendam prudenter accommodato, quum erectis oculis caput extollitur et manibus dignum gestum agentibus totus praeceptoris habitus aut remissior factus mitiora, aut erectior severiora cogitata prosequitur ac prodit. Tum facilius pii in auditorum animis sensus nascuntur, quibus impellentibus illi, quo velis, deducere sinunt, promptiores te duces, quocumque voles, secuturi. — Non est autem, quod verba mea ita interpretes, abesse debere in explicandis divini verbi argumentis simulationem quamvis et ostentationem omnem, hocce loco indignissimam, et omne affectandi genus, omnino ineptum et nequaquam ferendum. Sequere naturam! Quam qui jactandi et ostentandi causa praetermittere ac negligere volet, facilius irrisionem feret discentium, atque subridentes provocans auctoritatem tam suam, quam rerum divinarum adeo infringet, ut adolescentuli magis ostentatoris ac venditoris personam geri censeant, quam seria serio tractari existiment. Ergo nunquam licebit, coram adolescentibus interdum sagaciter indagantibus et, quum ad jocosa inclinent, etiam sanctas res cito pervertentibus, abuti voce, vultu, gestibus. Aliter enim i. e. inepte ac perverse rem tractans praeceptor haud scio, an plus noceat iis, quibus prodesse velit. Sed si decorum observatur et, salvis veri, pulchri, honesti legibus, res varie ac jucunde a magistro ita tractantur, ut suo tempore et loco auditorum animi piis sensibus impleantur (suffundantur) et affectiones gignantur christianis praeceptis dignae, tum prospere, digne, salutariter quaevis procedent.

Enimvero tertium quoque illud, sic agentes, consequemur, quod perutile, quid quod necessarium causae discipulorum esse diximus: ad discentium voluntates moderandas, et, quo velis, impellendas moresque eorum flectendos et emendandos spectari etiam atque etiam debere. Nam si verum est, quod optimus quisque proborum Christi imitatorum persuasum habet, potiore religionis christianae et ceteris praestantiorem vim esse eam, qua erroribus sublatis vitia extirpentur, peccandi deleatur impetus, mores excolantur, emendentur, comprobentur: num negari potest, in tradenda coram superiorum classium discipulis religionis disciplina necessario in id maxime enitendum esse, ut certiore firmioreque magis magisque sedem in animis juvenum christiana occupet doctrina fidesque pariat, quae caritate operosa vigeat?



Permuli enim auditorum quum, praevalente veri sensu ac studio, praecipue cognoscendo et percipiendo delectari tota studiorum ratione consueverint, justo minus honestis rebus student virtutisque christianae praecepta aut despiciere, aut negligere videntur, quippe parum curantes emendandos mores, cupiditates coërcendas, appetitus moderandos ingeniumque ad divinas leges conformandum atque accommodandum. Accedit, quod ex ipsa adolescentium indole novi ignotique cupiditates nascuntur, quibus usque irritati et incitati sensibus cujusque generis, tam pravis perversisque, quam bonis sunt obnoxii. Certe illi undique vitiorum illecebris vexantur, variisque vitae oblectamentis pelliciuntur peccatorumque dulcedine tentantur imperiti adolescentuli, magna saepe inconstantia perturbati. Quoties vero fluctuantibus animo tam graves insidiae parantur, ut etiam insontes iique nolentes in summum discrimen adducantur, quo labem vitae ac moribus maximam patiantur aspergi! Nec ea causa, cur magnam vim in mores habere debeat doctrina, videtur praetermittenda, quod plerique discipulorum, exceptis modo theologis futuris ac philologorum nonnullis, nunquam deinde tanta universae religionis institutione fruuntur et tam copiosa sententiarum interpretatione utentur, qua praecepta eodem modo in vitae usus convertantur. Non autem vereor, ne quis male mea verba interpretetur; nolo enim nec studiosorum moribus obtractare, nec de laudibus ac meritis concionum christianarum detrahere. Sed hoc confirmare jure meo mihi videor, non omnibus nostris discipulis posteriori vita eandem oblatum iri occasionem excolendi ingenii morumque conformandorum, aut nolle illos, si qua meliora edoceri queant, satis lubentes ac severi animo iis rebus studere, quae ad coelestia salutemque divinam sibi comparandam pertineant. Unde enim, si qua erraverim hac persuasione mente concepta, tot ac tantae querelae hominum proborum et gnarorum de corruptis ubique hujus aetatis moribus etiam eruditorum, atque doctorum hominum, de despicientia quadam et contemptu sacrarum rerum, de pietatis erga Deum et Christum neglectione, item de superstitione pervulgata falsoque religionis cultu, quae incuriam hominum pravam subsequi solent? . . . . Quoquomodo autem se res habet, ita tradi religionis disciplina superiori gymnasiorum coetui debet, ut non solum cognoscatur et intelligatur docendo, sed etiam vis in voluntatem juvenum maxima exerceatur, ut studeant virtuti et firmissimam sibi persuasionem inculcent, non esse salutem veram nisi in religione toto animo complectenda et vere recteque, ut cognoscenda et intelligenda, ita quoque colenda, servanda, exsequenda. Ergo ubicunque occasio commovendi animi ac voluntatis temperandae, et, quo velis, impellendae praebebitur, arripiatur ea atque in usum convertatur, ut non tantum audiant discipuli verbi divini sonos, verum etiam studia sua iis conforment et voluntates reddant consentaneas. Itaque si docendae religionis negotium

suscepisti, noli perpetuo tantum praecepta religionis exponere sacramve historiam uno tantum tenore enarrare atque sententias continua serie interpretari, id solum agens, ut officio tanquam externo operi et negotio satisfacisse tibi videre, sed, interrupto sermone, admone interdum, cohortare, castiga, quando opus erit, verbis tuis, aptis quidem atque placidis. Tuum vero erit, suo tempore invitare, provocare, excitare ad honestatem christianam sibi comparandam. Tum illis horis, quibus docendum est, non intelligentiam solam augebis, sed integrum audientium ingenium et animos aeternae salutis adipiscendae conciliabis, atque efficies tali modo, ut, quantum in te est, perveniat ad nos gratia Dei, fiantque ea, quae vult, quemadmodum in caelo, sic apud nos terrarum incolae, Jesu Christi doctrina, vita, morte, meritis beandos.

At quibusnam praecipendis praeclarum illud assequemur, ut consiliis Dei aeternis satisfaciamus? — De his pro temporis ratione et modo brevibus quidem verbis exponam.

Restat enim mihi causam hoc loco dicenti, ut ad quartum, quod dicendum erat, me convertam, quaestionem soluturus difficiliorem, quae in argumento universae de rebus christianis doctrinae rite recteque tractando versatur. Verum enimvero quamquam illarum rerum nonnullae jam antecedentibus obiter significatae sunt: tamen nunc explanandum accuratius est, quodnam docendorum esse caput videatur, quae principes sententiae et praefereandae sint, quae, quamvis utiles, tamen posthabendae.

Quaenam igitur tradenda erunt? Quis rerum ambitus? Quae partes rei dignoscendae? Quis docendorum ordo servandus erit? Quantum temporis doctrinae opus erit et quibus utendum subsidiis? — Jam de hisce singulis, ut disquisitio mea absolvatur, breviter disputabo.

Si quis de religionis disciplinae in gymnasiis evangelicis tradendae materiae et argumento cogitet atque quaerat, quae sibi, in tanta rerum varietate ac multitudine, tradenda sint coram discipulis, mirum sane videtur, si dubius haereat in iis, quae doceantur, eligendis. Sed est, quod haesitet; etenim non eadem illorum, qui hac de re judicaverunt, sententia fuit, diversa quidem statuentium de religionis evangelicae vera natura et indole, quaeque argumenta ejus potiora essent et praecipua, ad rei naturam pertinentia, quaeve doctrinae ut minus necessariae minus respicerentur. Immo dissenserunt viri docti, qui de re nostra libros hisce annis superioribus ediderunt. Alii istorum censuerunt, dogmata antiquitus in ecclesia recepta etiam nunc retinenda quidem, sed novis philosophiae recentis involucris proponenda, formulis nescio quibus novis obducta; alii putarunt, omnia esse ad certos sensus revocanda,

maxime ad istos, quibus nos humillime affecti esse deberemus et prorsus pendentes ex numinis potentissimi nutu et arbitrio; rursus alii existimarunt, acquiescendum nobis (etiam hoc saeculo undevicesimo) in dogmatis olim vulgo receptis in ecclesia, videlicet partim propter dissensiones et litigationes ab ecclesiasticis doctoribus constitutis, partim reformatorum venerandorum aetate publice propositis certisque formulis palam sancitis; alii denique justo levius omnia esse addubitanda professi sunt et tanquam mythis fabulisque adeo referta, ut etiam solida conscientiae hominum christianorum publicae fundamenta vehementer concuterent et verae historiae, cui certam fidem haberemus, nihil fere relinquerent. Isti omnes, cur ita senserint et quo jure sic censuerint, ipsi videant; aut quis eorum meliorem viam ingressus sit, dijudicare nos quidem omittamus. Verum enimvero nos minus nonnullorum studia curabimus, tum inania et vana, tum levius aut licentius comprobata atque in lucem prolata. Ad verum indagandum alia nobis ratio videtur ineunda esse. Nam et historiae legibus et sanae rationis praeceptis prudenter et caute obtemperantes, quae vera sint et tenenda, reperiri tum demum videtur, si ad Jesu Christi et apostolorum praecepta, quae e libris sacris tum aperte agnoscentur, tum certo deduci ex iis sanae rationis et literarum ope possunt, referantur, ita ut literae sacrae nostrae, remotis opinionibus nimis cito vel temere conceptis, adhibita luce literarum hac aetate excultarum, complectantur, quae credenda sint, quaeve repudianda. Quodsi rem serio atque omni, qua par est, verecundia ac simplicitate cogitaveris et iterum iterumque perpenderit, ea te via ad salutarem dei divinarumque rerum per Christum hominibus revelatarum cognitionem deducet, et Christo duce, quae credenda atque tradenda sint, deprehendes. Id vero agendum esse arbitror, ut ne fallaris ipse quoque, neve propter te decipiantur adolescentium ingenia, quorum excultorum et conformatorum tibi severa aliquando ratio reddenda erit. Ergo sine dubio, quid vere doceri deceat, investigabimus, si notionibus ex aliis quoque literarum generibus claris et distinctis utamur tanquam adminiculis et praesidiis, quibus universae religionis vera natura et indoles cognoscatur et perspiciatur; tum si historia duce religionis omnibus gentibus innatae et necessariae diversas formas cognitae habemus et perspectas, ut, quibus rebus christianae religionis species excellat ac principatum ferat, noverimus. Elucebit inde, religionis speciem, quam Christus hominibus comparavit, solam, si recte intelligatur, veram esse, nec esse salutem nisi in Jesu Christo positam vel ponendam. Intelligere autem, quid voluerit sibi Christus qualemque hominibus salutem paraverit — qua quidem re verae salutis auctor atque effector, sospitator generis humani servatorque dicendus sit — nemo poterit, quamvis scientia omnis generis instructus et in literis variis versatus, nisi sancte, pure et, ut ita dicam, divino spiritu afflatus more divino sentire, cogitare,



velle, agere studuerit perpetuo, ita ut moribus in dies emendandis atque perficiendis Christum imitetur velut verae honestatis exemplar probatissimum et spectatissimum. Tum demum si scientiae probatae ope adjutus et sanctimoniae summae in sentiendo, dicendo, volendo agendoque efficacis, ac diligentiae experientia ductus, pietatem probabis erga Deum, Christum, homines, quippe perfectissimam animi in terra commorantis veramque solam affectionem atque condicionem: tum, inquam, praeclara illa scientiae et morum conjunctio nascetur, quae verum te Christi imitorem esse testetur et aptum te docturum reddat, qui in dijudicandis rebus christianis vera falsave dignoscere atque probata recte in usum adolescentium convertere possis. Ita comparatus aliquis et instructus nonne digno modo doctrinam de Deo, de Christo servatore, de hominum statu per Christum beandorum, de ecclesia christiana, ut divino gratiae Dei recuperandae causa instituto, de rebus post mortem futuris exponet? Annon decenter ille talis ac rei gravitati convenienter dogmata christiana, quatenus e literis sacris tanquam divino fonte hauriantur sanae rationis excultae ope, de theologia, christologia, soterologia, anthropologia, eschatologia — quae dicuntur — interpretabitur?

Profecto igitur constat, quae tradantur discipulis, e libris divinis esse rependa, sanae rationis usu comprobata literarumque luce illustrata. In his consentiunt omnino plurimi nostrae aetatis homines excultiores quidem, qui opinionibus temere conceptis huc illuc non trahuntur. Censent enimvero, aeterna esse quaedam religionis christianae fundamenta et immutabilia, quum in constituendis quibusdam dogmatis, minus necessariis, ferri posse varias sententias easque discrepantes statuant.

Quemadmodum in constituendo eorum, quae doceantur, argumento, quum diversae virorum doctorum sententiae sint, sine ulla dubitatione nos id proposuimus caput rei, ut ad librorum sacrorum doctrinam, adhibito sanae rationis usu, omnia revocarentur: ita in describendis totius materiae partibus atque in definiendo rerum ambitu, licet diversi diversas rationes accipiant, non dubitanter certa consilia statuimus incunda certumque, quo res referantur, tenendum esse modum. Namque cum omnis doctrina christiana in cognoscendis rebus credendis versetur — dogmaticam dicunt artem — et in indagandis iis, quae ad mores fidei conformandos spectant, — moralis ea doctrina nominatur: tum historia quoque, et ad omnes religiones pertinens et ad christianae ecclesiae historiam singularem, cognoscenda est ac declaranda, itemque quam sortem habuerint et condicionem habeant divini libri, unde hauriendas esse doctrinas supra diximus. Itaque duplex harum disciplinarum corpus efficitur: theticum s. systematicum et historicum. Quodsi neglectam ita esse exegeticam doctrinam fortasse contra dixeris, non est ea in gymnasiis

adeo respicienda, ut tanquam integra et plena ars proponatur. Contra necessariae nobis quatuor illae disciplinae videntur, quarum prima institutionem rerum complectatur ad cognoscendos libros divinos spectantium; altera proponat religionum, quae inter excultiores gentes obtinuerunt, species, formas, varietates, mutationes ac naturam consentaneam; tertia profiteatur, quid cogitandum et credendum sit divinarum rerum, dogmata fide amplectenda; quarta denique, quae de hominum christianorum moribus praecipiantur et vita fidei conformanda, in lucem proferat. Praeterea opus est, discipuli locos librorum sacrorum, quibus sententiae comprobentur, eo sermone, quo perscripti exstant, nec translato aliquo legant: id quod eo quidem consilio fiat, ut discipuli et accuratius illustrare dogmata discant, et aliquando, in academias literarum abituri, hujus peritiae rationem reddere valeant.

Docendas autem has disciplinas singulas esse in gymnasiis, elucet tum ex mutua, quae inter eas intercedit, necessitate, tum ex eo, quod plenioram quandam adolescentes, qui literis student, scientiam sibi parent oportet: id quod illi quoque desiderant, quorum est, in academiis exponere religionis doctrinam. Qui vero satis exculli videantur discipuli in academias migraturi, si aut bibliologiae notitia, aut historiae christianae cognitio omnis deest? Atqui dogmatum doctrinam et morum disciplinam in gymnasiis tradendam esse, nemo eorum, penes quos est harum rerum iudicium, negabit.

Jam vero, si et necessarias et utiles esse illas disciplinas recte ita constituerimus, transire licebit ad tertiam hujus quaestionis partem inferiorem explicandam, qua iudicium fiat de exteriori rerum docendarum ratione, de modo proponendi, consiliis ineundis, tempore definiendo et quae sunt similia ejusdem generis. Non vereor autem, ne aut levitatis, aut imprudentiae suspicionem moveam, si minus anxie de constituendo rerum ordine exteriori et certis temporis finibus describendis cogitem; neque enim in singula quaevis vel minutissima anxie et dubitanter inquirendum et religiosissime externa disponenda arbitror, nec perversa ea utendum subtilitate reor, qua nonnulli, quae ad exterioriorem rei partem pertinent, vel minutissima adornare student. Scilicet rem maximi momenti sagaciter sibi indagasse videntur, si abditum quendam tramitem investigarunt, eumque presse sequuntur, licet eodem, quo omnes perveniunt, multis ambagibus ferentem. At si dixerit quispiam, me despiciere et perstringere omnino velle libros, in quibus res arte et via tradantur, errabit sane parumque noverit, quanti equidem faciam atque optem, ut via et arte scribatur, dicatur, doceatur. Sed nolo, — ut fit nescio a quibus, qui paupertatem atque adeo egestatem scientiae occultare student artificii inanibus in tradenda disciplina adhibendis — nimium tribui investigandae novae alicui viae et rationi, qua disciplina aliqua tradatur. Quodsi ita se res habet,

simpliciter, quid de distribuendis disciplinarum illarum partibus censeam, et quantum temporis iis tribuendum sit, paucis verbis demonstrabo.

Ac primum quidem, ut de temporis spatio, quo quatuor illarum disciplinarum expositio absolvi possit, dicam, non arbitror bene ac prospere absolvi posse opus, nisi quadriennium concedatur, ita ut magister in singulis tractandis disciplinis totum per annum versetur. Etenim quantopere nuper hae singulae disciplinae amplificatae sunt! Quam aucti per aliquot abhinc annos notionum complexus! Quae et quanta hoc quidem saeculo in singulas literarum artiumque partes, breviores olim et definitiores, illata sunt! Quantam vim et philosophiae et historiae universae et physicarum artium progressus in religionis doctrinae studia habuerunt! Quid, quod ab ipsis theologis notiones plurimae aut subtilius et accuratius recognitae et exploratae, aut aptius et elegantius propositae sunt! — Ergo cursum quadriennio absolvendum postulamus. Neque tamen peccare eum arbitramur, qui interdum fines ejus disciplinae, in qua tradenda versatur, nonnunquam transgrediatur; immo suo jure faciet magister, ut interdum, ubi feret opportunitas, ex aliis disciplinis notiones, definitiones, sententias, argumenta et rationes cet. huc afferat et in rem suam convertat. Est sane prudentis praeceptoris cavere, ne praecepta quaedam, quum nimis separata proponantur nec aliarum literarum luce illustrentur atque argumentis aliunde repetendis confirmantur, obscuriora videantur auditoribus et nimis impedita sint, quam quae recte intelligantur et ad vitam ab discipulis accommodentur. Conjungenda potius et juxta se ponenda ea sunt, quae mutuum sibi lucem afferant; ac nihil interest, perpetuusne sententiarum ejusdem disciplinae nexus sit, an suo tempore interrumpatur. Id age maxime, ut discipuli viva voce tua conformandi plurimum proficiant. Licet enim honori tibi et gloriae veritas, si orationem, non disrupto sententiarum nexu, continuare usque et praecepta in strictum ordinem redacta perpetuo vocis tenore exponere possis: tamen, quum discipulorum usibus praecipue accommodanda sit tradendi ratio, ab eo, quod proposueris, interdum digrediendum est. Nonne hoc quidem consilio in tradenda dogmatum doctrina utendum est, quorum vim in vitam adaequandam atque mores conformandos significare debeamus? Rursus in doctrina de moribus explananda num licet abstinere illis decretis e dogmatica arte afferendis, quibus tanquam firmissimo fundamento officia inde deducenda et munia christianis hominibus subeunda superstruere possis? Simili ratione etiam historia, tam quae ad libros sacros cognoscendos pertinet, quam ea, quae in varias religionum species inquirat, et ecclesiae christianae statum illustrat, tractanda est, ut fructus inde salutare percipiantur.

At si temporis spatium, quod tribuendum universae religionis doctrinae esse supra diximus, majus erit illo, per quod singuli discipuli singulas classes frequentare



solent, quid agendum erit, ut cunctis illis disciplinis cuncti instituantur? Difficultate quadam ibi res premetur, ubi supremæ classi adscriptis separatim religionis doctrinâ traditur. Ad removendam illam quidem difficultatem omnis disciplinarum materia singulis classibus accommodata atque certo ordine digesta oportet proponatur. Sed de ratione hujus rei accuratius definienda, quum tempus nunc deficiat nec locus aptus sit, exponere non licet. Id tantum, quum prohiberer, quominus copiosius de hac re dicerem, monuerim, non esse rem sapienter institutam, si præter divinos libros non alius quoque subsidii causa adhibeatur. Neque enim, solo sacrorum librorum usu permissa, auditoribus se præparandi copia fit, nec omnes inter docendum satis intelligunt, nec postea, finitis scholis, ubi repetere res auditas auditores volent, satis hoc fieri poterit. — Verum etsi præstabit, adhibito libro duce aliquo, idoneo et in usum gymnasiolorum rite adornato, religionis disciplinam tradi: utendum tamen, quotiescunque occasio dabitur, ipsi est divinis libris, unde loci clare, distincte reique convenienter explicandi afferantur. Quod utinam summæ tibi curæ esse velis! —

De hisce autem et similibus uberius disputare quum jam non concedatur propter temporis angustias locique nimis coarctatos fines — quos ne transgressus sim, haud scio an valde mihi verendum sit — disputandi finem faciam, omissis nonnullis cantilenis sacris a memet ipso eo consilio compositis, ut exemplis, quid de gravissimis quibusdam religionis doctrinæ capitibus sentirem, luculentius comprobarem.

Faxit Deus benignissimus, ut et mea erga Jesum Christum servatorem pietas summa et nunc et aliquando agnoscat, et discipulorum meorum affectiones animi, studia, voluntates, vita moresque salvatori comprobentur. Quemadmodum apud coeli incolas, sic apud nos, quæ Deus vult Optimus Maximus, constanter ea fiant!